

PLATO.

DE Platone (quod Salustius ait de Carthagine) melius erat tacere, quàm parum loqui : ne tamen aut ipse vnde laudem meretur silentio tegatur, aut mihi torpor ex admiratione surrepserit, carptim memorabitur. Hic antiquissimo verumque nobilissimo genere, multum ipse nobilior, Athenis ortus, eruditus à Socrate, patria & præceptore clarissimis, breui tamen sic verumque superavit, vt nihil aut Socrati illo discipulo foelicius contigerit, aut Athenis illo ciue gloriosius. Habuit & præceptores alios, Dionysium in primis scripturarum rudimentis, Aristonem Argium in palestra, in qua luctator exercitissimus eua-
sit, picturæ quoque artem non liquit intentatam, adhæc & Tragoedias scripsit, tantaque illi Poëtandi fiducia incesserat, vt ad eius professionem aspiraret, nisi magister Socrates hoc eius propositum mitigasset, ad altioris gloriæ desiderium at-
tollens. Heraclidis primum sectator fue-
rat, deditus tandem Socrati coëquæuis suis post se relictis, ipsam Socratis do-
ctrinam & ornauit eloquentia & ratio-
nibus armavit. Vbi verò Socratem sibi

mors